



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

impietatis, iam per fidem ablata, supplicia, sed crux,
probatio & gloria Dei instrumenta.

CAP. V.

Ita obsecro, aliquem, qui respondeat tibi (uel similis sit tibi) etiamsi ad aliquem sanctorum te uerteris.

Sed stultum interficit, & insipientem occidit zelus.

Ego uidi stultum bene radicatum, & maledixi pulchritudini eius statim.

Longe fiunt filii eius a salute, & contumuntur in porta, nec est liberator.

Cuius messem famelicus deuorat, & ab armatis spoliatur, absorbent sitibundi substantiam eius.

Non egreditur calamitas de terra, nec de humo germinat afflictio.

Sed homo ad afflictionem nascitur, sicut pulli uolatilium eleuantur uolatu.

Hebraea phrasid per famelicos & sitibundos, tyrannos & latrones describit, alienis opibus, ueluti lupi uestertini inhiantes.

CITA OBSECRO &c. Quod uulgata

ANNOT. IN HIOB

eralatio legit uoca, hoc hebraeus habet **אֵלֶּיךָ**, id est, nomina, cita, adpella, è quo loco quidam inuocatione probant sanctorum: perinde, ac si Eliphaz suaderet Hiobi, ut propter adfluctiones, se ad aliquem sanctorum uertat, qui inuocatus liberare possit, sed longè aliam sententiam esse, & præcedentia & sequentia docent, siquidem Eliphaz adhuc in eodem argumento constat, quo probat, Deum nullum innocentem adfligere. Proinde, ut in priori Capite ab impiorum & tyrannorum supplicio, sui propositi rationem duxit: ita in hoc capite, idem ostendere conatur à sanctorum impunitate, & stultorum perditione, dicens: Circumspice, queso, & percurre uniuersum sanctorum ac iustorum Catalogum, non tamen usquam reperies, aut sanctum aut piuum, qui tibi respondeat, id est, similia tibi passus sit, & tam graui, horrendoq; supplicio, quali tu, adfectus fuerit. Quod si forte Abel iustum obieceris, sed ille morte citissima ab inuido fratre occisus est, ab impio, impie tractatus est, tu uero non ab impijs solum Chaldaeis, sed à Deo ipso, ab igne cœlesti, à plaga, non è corpore **κακοχύμων**, sed è cœlo descendenti, adfluctionem sustines: proinde iratum oportet Deum uincende habeas, quãdo nunquã aliàs iustum tam horribiliter sunt grauissimè adflixerit. Quod si iratum habeas Deum, consecutã me tentatione nẽ est te impium esse, & iusta de causa adfluctum, nes cõtra fidẽ propterea quod Deus non nisi impietatem, odio habe

Verbo Domini
m uincende
sunt grauissi-
me tentatio-
nes cõtra fidẽ

at, &
bere
pla,
habe
foelic
fi ma
tux u
sed u
uult
xati
rati
igitur
nec s
xime
ter q
ijs, q
sunt i
unus
élite
rãt
sanct
fis s
de s
prop
dax
quo
at,

at, & adfigat. Est autem grandis tentatio, nullum ha-
bere in pœna aut cruce similem: piorum enim exem-
pla, non mediocriter fidem suffulciunt. Iam quum nō
habeas priorem, tibi in adflictione similem, tanto in-
foelicior tibi uideris, quāto magis solus pateris: porrō
si maxime similes habeas, pauci tamē sunt, inter quos
tuus uel umbra sis. Adflictus est & Abel, ac liberatus,
sed unus: ueniditus est Ioseph in Aegyptum, & post
multas tribulationes in regnū eleuatus, sed unus. Ve-
xati sunt Israēlita in Aegypto, & ē uexationibus libe-
rati: sed gens sancta et populus electus fuerunt. Quid
igitur mihi sperandum esset, quādo cum illis collatus,
nec somnium fuero. Aduersus hanc tentationem, ma-
xime nos munitos esse oportet Verbo. Quo? illo: Pa-
ter quem diligit, corripit. Item: Dominus prope est
ijs, qui tribulato sunt corde. Item, ego sum cū ijs, qui
sunt in tribulatione &c. Quibus promissionibus nō
unus duntaxat Abel: non unus Ioseph: non solū Isra-
ēlite, populus sanctus liberati sunt, sed omnes libe-
rati, quotquot fidei corde eas custodiūt. Ais uero, ij
sancti fuerunt, ego peccator sum, quomodo igitur ip-
sis similiter speraucto? Recte dicis: sancti sunt, sed un-
de sanctitatē habent, an ē suis operibus, an ē iusticia
proprijs uiribus parta? absit: Omnis enim homo men-
dax, solus autem Christus, qui est Verbum Dei, in
quo & omnes promissiones Dei sunt etiam, & amen

ANNOT. IN HIOB

ueritas, iustitia & sanctificatio est. Proinde quicumque sancti sunt, non aliunde sanctitatem habent, quam ex fide in promissionem diuinam, seu Christum, qui est omnium promissionum caput & summa, itaque si tu id uerbum, eundem Christum, fide adriperis, eandem sanctitatem adriperis, & liberaberis, uel solus si simus exemplo patiaris: uel cum paucis, si eadem fide, quam illi uerbum, tu quoque adceperis.

SED STULTVM INTERFICIT IRA.

Id est, innocens & pius non perit, sed impius, quem scriptura stultum uocat, ab ira Dei interficitur, & insipiens à zelo eius occiditur. Dicitur enim in lege: Dominus zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem: & rursum Faciens misericordiam in millibus, ijs qui diligunt eum, & custodiunt mandata eius.

EGO VIDI STULTVM &c.

Mordet tacite Eliphaz Hiobem, quia idem ipsi euenit, quod impijs euenire solet. q. d. florasti haec opibus, potentia et gloria, nunc omnibus his bonis priuatus es. Sic enim impijs accidit, initio belle ualent, & late dominantur, post uero in extremas miseras deiciuntur, initio florent, sine marcescunt: & sicut flos agri ac gramen prati, mane uirent, uespere arefcunt, Psalm. 36. Vidi impium superexaltatum, sicut cedrus Libani: transiit, & ecce non erat, Esaiæ. 14. de Nebucad.

Impij eleuantur, ut deiciantur grauius.

Bucadnezor, Ezech. 28. de principe Tyri, eiusdem.
 31. Ecce Assur, quasi cedrus in libano, &c. Vnde hoc
 loco, Eliphaz ait, uidi stultum, id est, impium, bene ra-
 dicatam, superexaltatum, & maledixi pulchritudini
 eius, hoc est, cognoui, quod, ut maxime nunc eleuatus
 fu, & bene ualeat, sit tamen statim perdendus, & in
 aeternum maledicendus, nec solū ipse maledicatur, sed
 & filij eius, longe à salute sunt, liberatorē nō haben-
 tes, nam hæc sententia, in lege, super impios lata est,
 Exo. 20. Visitans iniquitatē patrum in filios, Deut 28
 Filij tui, & filie tue tradentur populo altero, uidēti-
 bus oculis tuis, & deficientibus, ad conspectū eorū
 tota die, nec erit fortitudo, ad liberandum eos, in ma-
 nu tua, fructus terræ tue, & omnes labores tuos, co-
 medet populus, quem ignoras, & eris semper calūni-
 am sustinens &c. Huius sententiæ exemplum habes
 in Sade. 4. Reg. 25. Docet etiam iste locus parētes,
 timorem Dei, quis enim non optima quæuis, & am-
 plissimam hereditatē, suis liberis optat? proinde cura,
 ut pie uiuas, & pueros in pietate & eruditione Do-
 mini educes, amplius illo patrimonium eis relinquere
 non poteris, quod si tu impie uixeris, & filij tui im-
 pietatem à te cœptam, compleuerint, non solū tu ma-
 ledicere, sed & filij, maledictionem patris heredi-
 tabunt, non quod liberi, si resipiscant, parentum pec-
 cata portent, sed quod ubi inter parentes & liberos,

Super filios
 impiorū, ma-
 ledictio.

Amplum pa-
 trimoniū, libe-
 rorū pietas.
 Exempla pa-
 trum hæc do-
 cent.

ANNOT. IN HIOB

eadem fuerit impietas, ibi necesse fuerit, idem impietatis supplicium fore.

NON EGREDITUR CALAMITAS

Ad afflictiones DE TER. Id est, tantæ afflictiones, non à rebus ex non aliunde, ternis, aut à fortuna tibi accidūt, sed oportet te ipsum atq; nostro tui mali authorē esse, nulla enim afflictio aut poena peccato adci aliunde, uel è terra, uel è cælo, nobis citra meritum dunt.

contingit, sed quemadmodum aues, secum in aërem ferunt, suam uolandi rationem, nō ex aëre petunt, quo modo enim fieri posset, ut in aëre uolarent, si non secum ferrent pennas & alas, quibus in aëre sustolleretur? ita nec terra, nec cælum, nobis calamitatum, aut suppliciorū authores sunt, sed nostra impietas, quam nobiscum innatam circumferimus, omnium afflictionum causa & author est, & quemadmodū laborantis agricolæ sudor, nō ex agro promanat, sed ad agrū in agricola fertur, ita non aliunde, nobis addiunt ad

Impietatis mala nō auertuntur, nisi pietate, aut maiori cōmodo tolerantur.

afflictiones nostræ, quæ ex merito nostro. Pulchra certe sententia, qua admonemur, ut nos ipsos, tanq̄ malorū nostrorū authores aduitemus, nō reijcientes causam uel in Deum, uel in alienas res, quando nemo nisi à se ipso ledatur: nam omnes homines nascuntur peccatores & filij ire: qui uero secum agnatum circumfert peccatum, is etiam unā cum peccato, maledictionem, calamitates, mortem & infernum circumfert: siquidem hæc peccati stipendia sunt. Proinde, quando cūq; adci

ad ceciderit maledictio, mors & infernus, iuste, & no-
 stro merito, non aliena iniusticia, aut importunitate
 ad cecidit, imò uero non nouiter ad cecidit, sed quod ante
 latebat, nunc reuelatur: ubicunq; enim peccatum la-
 tet, ibi infernus latet. Omnes igitur homines, pro Eli-
 phaz sententia, iuste & merito propter peccatum
 & impietatem, adfliguntur? Respondeo, omnes ho-
 mines peccatores nascuntur, & propter peccatum,
 quæuis supplicia, quàmuis ingentia, meriti sunt, at
 multi pij interim, per fidem renascuntur, & per san-
 guinem filij Dei, à peccatis purgantur, ut sint noui ho-
 mines, quales & Patriarchæ & Prophetae fuerunt. Adflitiones
 itaq; quod ante fidem, digna meritis pœna & male- propter fidē,
 dictum legis supplicium erat, post fidem, crux fit san- fiunt crux &
 cta, benedicta, fidei probatio, & reliquiarum carnis, probatio.
 ueluti falx putatoria. Exemplum habes in latrone,
 qui ad Christi latus, propter homicidia, patibulo ad-
 fixus est: huic enim priusquàm in Christo crederet
 & confiteretur, patibulum, legis maledictio, &
 dignum factis supplicium erat: at postquàm suam
 agnoscens iniquitatem, in Christum credit, ex patia-
 bulo maledicto, crux fit benedicta: siue igitur patia-
 ris merito, siue immerito, crede, & benedicta erunt
 quæcunq; tibi ad ceciderint.

Veruntamen, ego Deum requiram,
 & de Deo faciam sermonem meum.

ANNOT. IN HIOB

Facit magna, imperuestigabilia, mira, innumerabilia.

Dat pluuiam super terram, & effundit aquas super plateas.

Ponit humiles in sublime, abiecti exaltantur (eius) auxilio.

Conterit conatus prudentum, ut manus eorum nihil efficiant.

Comprehendit sapientes in prudentia eorum, & consiliū prauorum, stultum.

Die adprehendunt (prudentes) tenebras, & tanquam in nocte, palpabunt in meridie.

Liberat de gladio, ab ore eorum, & de manu capientis, e genum.

Atq; adeo pauperis expectatio est, ut iniquitas contineat os suum.

VERVNTAMEN EGO DEVM &c.

Quod Eliphaz priori capite, de iusticia Dei cepit, nunc prosequitur, probando Deū non esse iniustum, argumento à potentia, & operibus eius ducto, quasi uero nunc de iusticia Dei quæstio esset, ac nō potius de crucis natura, & adfluctionum conditione: est autem sensus, ut uere tu Hiob, agnoscas Deum non esse iniustum, enumerabo aliquot facta eius, que siquis animada

Que argu-
menta iusti-
cie Dei.

animaduertat, iniusticia Deum adcusare non poterit
 facit magna imperuestigabilia, dat pluuiam terrae, com-
 prehendit sapientes in astutijs eorū, saluat ægenum:
 heccine, iniusti cuiuspiam opera sunt? Itaq; his rebus
 cohibet Deus, os loquentium iniqua, ut nemo etiam
 si uelut, possit eum calumniari. Porro, quemadmo-
 dum hypocrita, suis impietatibus & prophantis sa-
 cris, nihil aliud prætexere potest, quàm nomen boni
 operis: interim non disquirens, an sua impia sacra,
 uera sint bona opera: ita Eliphaz diuinam iusticiam
 & potentiam, contra Hiob, iterū atq; iterum tactat,
 nulla interim ratione habita, causse & controuersie:
 non enim de iusticia Dei contentio est, sed de crucis
 ratione, quæ in pijs, non peccati poena, sed gloriæ
 Dei instrumentum est.

FACIT MAGNA &c. Psalm. 105. Fecit
 magna in Aegypto mirabilia in terra Cham, terribi-
 lia in mari rubro, Psalm. 146. Magnus dominus noster,
 & magna &c.

DAT PLUVIAM, Psalm. 146. Parat terræ plu-
 uiam, Hierem. 10. Ad uocem suam dat multitudinem
 aquarū in cælo &c. & quod Dominus in manu sua
 pluuiam contineat, testatur per Moser, & Heliaz exem-
 plum, in lege enim dicitur: Dabo uobis cælū æneum,
 & terram ferream &c. Helias uero ex spiritu ait 2.
 Reg. 17. Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspe-
 ctu ego sto, si erit annis his ros, & pluuiæ &c. iam sū

ANNOT. IN HIOB

Matth. 10 *nec pluuia stilla de caelo, nisi iubente Domino, cadit,*

Luce. 12 *quanto magis uerum est, quod alibi dicitur, non cadit capillus de capite uestro, citra Dei uoluntatem.*

PONITHVMILES IN SVB &c.

Vt aliás habes. 1. Sam. 2. Suscitatur & de stercore eleuat pauperem, &c. & in cantico Mariae: Deposuit potentes de sede.

CONTERIT CONATVS PRVD. &c.

Huius sententiae exempla sunt, quotquot pro sua prudentia, contra Verbum, aut populū Dei electum, consultarunt, ut Pharaos, Saul, Sannaheerib, Pharisei, Caiaphas, & Pilatus.

DIE APPREHENDVNT &c.

Eandem sententiā habes inter maledictiones, Deuter. 28. Percutiet te Dominus cæcitate, ut palpes in meridie, sicut solet cæcus palpare, & Exo. 10. Tenebrae palpabiles.

SALVAT DE GLADIO &c. *Id est, Dominus liberat oppressum de manu tyranni, adeoque ipse solus est egeni & adflucti expectatio: nam aliás dicitur PATER ORPHANORVM, & iudex uiduarum. HAEC OMNIA huc spectant, quod probent potentiam & iusticiam Dei: ceterū, quod omnes adfluctiones, impietatis supplicium sint, probare non possunt.*

Ecce bene uiro, quē corripuerit Deus,

& eruditionem omnipotētis ne spernat.

Quoniam ipse uulnerat, & medetur,
percutit & manus eius sanant,

In sex afflictionibus liberat te, & in se-
ptima non tangit te malum

In fame liberat te a morte, & in bello
a gladio,

In flagello linguæ absconderis, ut nō
timeas a uastitate, quum uenerit,

In uastitate & fame ridebis & a bestiis
terræ non formidabis.

Sed cum lapidibus campi pactū tuū
erit, & bestię campi pacificæ tecū erunt

Agnosces, qd' pax sit tabernaculo tuo, cu
stodies habitationē tuā, & nō aberrabis.

Agnosces, quod multum sit semen tu-
um, & progenies tua quasi herba terræ.

Abibis in senio ad sepulchrum, quasi
truncorum aceruus in tempore suo,

Ecce, hoc inuestigauimus, sic est, au-
di illud, & memineris tibi.

DIVERSA LECTIO.

Protrūcorū aceruus, etc. Hebræ. habet צערות
אריש בעת id est, succisionum, uel mestum

¶

ANNOT. IN HIOB

cumulus, uel foliorum cumulus, quod Graecus per
phrasi quadã explicat, ἐλεύση δὲ ἐν τὰ φῶ ὡσπερ
σῖρος ὤειμος, κατὰ καρπὸν θεριζόμενος, ἢ ὡ
πῶρ θημονία ἄλωνος καθ' ὥραν συγκομιδῆ
σα id est, ingredieris in sepulchrum, quemadmodum
frumentum maturum, tempore suo demessum, aut
sicut aceruus areae tempore suo comportatus.

BENE VIRO &c. Post argumentorū seriem,
quibus Eliphaz probare conatus est, omnem adflic
tionē esse impietatis stipēdiū, quasi egregie suo mu
nere defunctus esset, ac totā causam abūde satis mu
niisset, subiicit parænesim lōge omniū pulcherrimā,
qua monet Hiobem, ut agnoscens impietatem suā, pa

Commēdatio tēter crucem Domini ferat: Beatus inquit, homo,
crucis qd' erit quem corripuerit Dominus &c. id est, crux sanctificat
diat & morti cat, non perdit, beatificatq;. Quæ aut' possit maior
ficet ueterem cruci cōmendatio adcidere, quàm quod sanctificet, et
hominem.

Dei fauorem declaret: nam crux schola est, qua doce
mur uoluntatem Dei, hoc est, abnegationē nostri,
& sanctificationem. Vetus enim Adam usq; adeo to
tus impietate obrutus est, ut nec legi dei obsequatur,
nec possit etiā suis potētissimis uiribus obsequi: pro
inde uoluntatem Dei implet, non adiutus à gratia, ut
Sophistæ nugantur, sed prorsus per gratiā mortifica
tus, ut Paulus ait: Si spiritu carnis facta mortificaueri
tis, uiuetis. Quemadmodū enim amor habēdi nō im
pletur

pletur habēdo, sed ut in hydropico, quo plus potatur
 eo plus sitiuntur aquæ: sic, crescit amor numi, quan-
 tum ipsa pecunia crescit: & ut gloriæ cupiditas, aut
 dominandi libido, non saturantur acquisita gloria, et
 nacti impio: ita uetus hō quo plus per gratiā ad bo-
 na iuuatur, eo plus insanit ad mala: id quod exemplis
 manifestū sit, nā quos unq̄ Deus maiori sapiētia &
 potētia donauit, quā Gētes, Græcos, Babylonios &
 Romanos. Turares, à parte eorū Deum solum stetisse
 quādo in nullā aliam gentem, maiora dona et animæ
 & corporis effuderit. Sed uide, quantū tāta Dei gra-
 tia, ad iusticiā et sanctificationē pmouerint. Mutau-
 erunt, inq̄t Paulus, gloriā immortalis Dei, per imagi-
 nem, nō solū ad mortalis hoīs similitudinē effictam,
 uerū etiā uolatilū, quadrupedū & reptiliū. Rursum
 quibus unq̄ deus fœliciores successus, & celebratio-
 nem carnis iusticiam, quā Iudæis tribuit, cum grā-
 uis seruitute pressi erant sub Pharaone, liberauit eos
 sine exercitu, per mare rubrū saluos eduxit: in deser-
 to quadraginta annis manna de cœlo cibauit: interim
 aqua de petra potauit, legem dedit, cultus carnis sat-
 etissimos instituit, cum transissent illæsi Iordanē bre-
 uissimo tempore totā terram Chanaan, in eorū pote-
 statem redegit, & dominos terræ fecit. Quid igitur
 tāta dei gratia adiuui sunt? Peiores subinde efficiebā-
 tur: ita enim Mose cōqueritur: incrassatus est dilectus

Gētes abutun-
 tur donis suis

Neq; sancti
 recte usi do-
 nis.

ANNO T. IN HIOB

Et recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, et dilata-
tatus dereliquit Deū factorē suū. En talis sit uetus

Per crucē re- Adam, si adiuuetur et non mortificetur. Proinde ut
cte formantur legi Dei obtemperet subigendus et mortificandus est
pij. cruce. Nam propter Adæ præuicationem, sic com-
paratum est, ut Dominus in homine nō perueniat in
propria opera, nisi per aliena: propria aut Dei ope-

Aliena opera ra sunt, fauere, benefacere, uiuificare et saluare, pro-
Dei. ptera quod deus natura sua summū sit bonū, uita et
salus, aliena sunt irasci, adfugere, mortificare et dam-
nare: itaq; ut faueat, irascitur (nam et ideo lex irā
operans, Euangelion præcedit) ut refocillet, adfugit,
ut uiuifiet, mortificat: ut saluet, dānat. 1. Sam. 2. Do-
minus mortificat et uiuificat, ad inferos deducit et

Opus dei p- reducit, Hose. 6. Ipse cœpit et sanabit nos, percutiet
prium ut sal- et curabit nos. Ezech. 33. Nolo mortem impij, sed ut
uet, iuuat et conuertatur et uiuat, hoc est: Quū mortificauero
benefaciat. impiū, nō operor meū naturale opus, sed alieno ope-
morte scilicet, ad meum penetro, quod est cōuertere
impium et uiuificare, Esa. 28. Alienum est opus eius,
ut operetur opus suū.

IN SEX AFLICTIONIBVS LIBE-
RABO TE &c. Senarius numerus, operibus et
negotijs sacer est. Sex enim diebus creauit Dominus
cœlum et terram: et in lege, Sex diebus operaberis
et facias omnia opera tua. Septenarius autem nume-
rus, quieti

rus, quieti & ocio dicatus est, ut Mose ait: Septimo
 die requiescit Deus ab omni opere: et nullum facias se-
 ptimo die opus. Itaq; quum Eliphaz dicat: Dominum **Cruce ferenda**
 nos liberare in sex tribulationibus, et in septima nihil dante Domi-
 nio ultra mali nobis adcidere posse, hunc habet sensum: no ad id uirtu-
 toto afflictionis tue tempore, et in omni calamitate, li-
 beraberis, si fide constes, in septima autem non adcedet ma-
 ret integre-
 lum, id est, tandem in fine, quum iam satis fueris cru-
 ce eruditus sic liberaberis, ut porro felicissime uiuas,
 tantum abest, ut afflictionem uel tantillam sentias: li-
 berat enim Dominus in sex afflictionibus (id est, toto
 crucis tempore) non quod auferat crucem ab hume-
 ris nostris, sed quod tribuat uires, & patientiam cru-
 cis ferendae: in septima autem afflictione (id est, post
 crucis tempus) sic liberat, ut & crucem auferat, &
 ueram nudamq; foelicitatem donet. Eodem sensu Pau-
 lus 1. Corinth. 10. inquit. Fidelis est Deus, qui non si-
 mit uos tentari supra id quod potestis, immo faciet
 uia cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. **Dies resurre-**
 Simili fere tropo usus est Hose. 6. **Uiuificabit nos**
 post duos dies, die tertia suscitabit nos. Tertia enim
 dies resurrectionis est, & liberationis a cruce, ut uis-
 des in Christo tertia die resurgente.

IN FAME LIBERABIT TE &c. Pius praeter
 Enumerat benedictionem pijs, manum Domini fide su-
 Dominum ni-
 stinens, pius enim per fide Dominum possides securissi-
 hil timet.

ANNOT. IN HIOB.

mus aduersus omnes calamitates perstat, non timēs
nec famem, nec gladiū, nec rumores bellicos, nec ua-
stitatē, nec bestias terræ, adeoq; etiāsi cœlū cadat, et
fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.

A FLAGELLO LINGVÆ & c.

Flagellum lin-
guæ.

Per flagellum linguæ, puto intelligi, horrendam
de hostibus uenturis famā, aut strepitum quadriga-
rum bellicarū, ut enim flagellum corpus, ita fama
hostium, aut tumultus curruum bellicorum, impium
cor extimulat, ut tantū nō metu emoriatur, Hieremia
50. Ecce populus ueniet ab aquilone, uox eorū quasi
mare sonabit. Audiuit rex Babylonis famam eorum,
& dissolutæ sunt manus eius, angustia adprehendit
eum, dolor quasi parturientem. Contra, pius fide in
Verbo Domini constans, & Dominū ueluti propri-
am hereditatem possidens, nihil eiusmodi rerum uel
rumoris, uel tumultus bellici timet, Si Deus, inquit,
pro nobis, quis contra nos? quis separabit nos à dile-
ctione Dei, num adfluctio, nū angustia? & c. Vnde &
Hieremias de Christi tēpore scribit, in diebus illis, ait
saluabitur Iuda, & Israël habitabit cōfidenter & c.

SED CVM LAPIDIBVS CAMPI & c.

Qui in Domino securus est, & cū ipso pacem ha-
bet, cum uniuersis creaturis concordie pactum habe-
bit, & qui dominum adiutorem, aut fautorem habue-
rit, habebit et oēs creaturas adiutrices, oportet enim
creaturis

creaturis e nutu Domini sui creatoris pendere, ille si fauet, fauent omnes, ait, aut, negat, negat. Proinde qui Dominum custodem habuerit, habebit et lapides campicustodes, ut aut in murum compositi, nos una cum familia & frumentis nostris custodiant, aut ne offendamus ad lapidem pedem nostrum. Si inquit, Psalm. 90. perierint hinc mille, illinc decem millia, ad te tamen non adcedet malum, nec adpropinquabit tabernaculo tuo, quare? quia dominus spes tua, et altissimum posuisti refugium tuum, & angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis.

Angeli sunt administratores spiritus, Heb. 1.

BESTIAE TERRAE PACIFICAE &c.

Eadem habes Esai. 11. Habibit lupus cum agno, delectabitur infans super foramina aspidis, & in caueram reguli ablatatus manum suam mittet, non nocent, neq; occidet in uniuerso mote sancto meo.

ET AGNOSCES QVOD MVLTVM.

Sic Deuter. 28. Benedictus fructus uentris tui, & iumentorum tuorum &c.

ABIBIS IN SENIO.

Hoc est, uiues satur dierum. Soli impij, etiamsi uel sexcentos annos uixerint, non dimidiant dies suos, propterea quod fiducia suam in hunc mundum collocauerint, proinde omne tempus quo uixerint, breuius est quam ut satis faciat libidini eorum. Soli pij saturi dierum uiuunt, etiamsi uel decem duntaxat annos uixero

Impij uix dimidiabunt dies suos.

ANNOT. IN HIOB

*rint. Non enim è suo animo, sed ex prescripto Dei
pendent: parati igitur sunt, ut uita renuncient, quan
docunq; Domino placuerit.*

ECCE ISTVD INVESTIGAVIMVS.

*Vide adrogantiam. q. d. que dicta sunt alta mente
reponas, non enim è triuo, sed è spiritus penetrati pe
rita sunt: & egregie quidem Eliphaz, haclenus de iu
sticia Dei, crucis cõmendatione, et piorum benedictio
ne differuit, sed à causse presentis ratioe, aliena sunt.*

CAP. VI.

Respondens Hiob dixit, utinam libra
ponderaretur ira mea, & calamita
tes meæ, in statera leuarètur simul.

Quoniam nunc super harenam ma
ris grauiorez essent, ideo uerba mea ab
sorpta sunt,

Sagittæ omnipotentis mecum, quarū
furor absorbet spiritum meum, & terro
res Dei directi sunt in me.

*Argumentum huius Capitis: grauisima patior,
nullus autem amicorum meorum adfectu compassio
nis in me pio, tangitur, sed potius dolorem dolore au
gent, calumniantes, me iusta pati: uicunq; certo tan
men*